

[Henricus de Langenstein]

HENRICI DE HASSIA DE LANGENSTEIN  
GERMANI PARISIENSIS ACADEMIAE THEOLOGI  
ET PROCANCELLARII

EPISTOLA PACIS [Sectio I]

SCRIPTA 1379 IN SCHISMATE.

INTER VRBANVM VI. ET CLEMENTEM VII.

PONTIFICES ORTO

PRO VRBANO PAPA

EX CODICE MANVSCRIPTO VETVSTO.

---

PROGRAMMA

IN FESTO

RESVRRECTIONIS CHRISTI

A. M D C C L X X V I I

IN ACADEMIA IVLIA CAROLINA

P. P

---

HELMSTADII

EX TYPOGRAPHEO ACADEMICO VIDVAE SCHNORRIAE.





PRORECTOR

E T S E N A T V S

ACADEMIAE IVLIAE CAROLINAE

CIVIBVS LITERATIS.

S. D.



Prima Christi ad discipulos compellatio, cum post gloriosam suam resurrectionem vivum se illis ostenderet, haec erat: *Pax Vobis.* a)

Confueta fuit apud orientales formula שָׁלוּ מִלְחָמָה לְכֶם *pax vobis*, qua utebantur vel salutationis loco, dum unus ad alterum accederet, b) et per quam omnis generis incolumitatem, corporis et animi felicitatem appreocabantur;

\* 2

a) Luc. XXIV, 36. Ioh. XX, 19.

b) Iud. VI, 23. XIX, 20. 1 Sam. XXXV, 6.

tur; vel dum statum alicuius bonum et tranquillum, num bene valeret, explorare volebant. c) Videri hinc posset, intentionem Christi in usitato hoc salutationis modo, nullam aliam fuisse, quam ut exterritos discipulos blande alloquenter, et voto prosperitatis constantis, protectionis divinae, et securitatis contra adversariorum machinas, cum felici negotiorum eventu, illis succurrere vellet.

Non equidem negandum, Christum omnino voluisse discipulos tristitia concusso, quorum animum formido praeteritorum et futurorum valdopere occupaverat, his verbis erigere; sed simul in hoc alloquio eminentiorem latere ambitum, vel ex eo patet, quia iam paulo ante simili expressione declaraverat Christus discipulis, pacem quam illis donabat, ad altiora tendere, et diversam esse a consueto conceptu. Annunciarerat pacem, sed cum emphasi dixerat: *largior vobis pacem meam, non talem, quale mundus confert.* d) Hinc apparet, maximum in expressione vocis *meam* latere pondus, et pacem Christi multis modis differre ab illa, quae more consueto vovetur. Pacem sive salutem dum vulgo appercatur amicus amico, alter alteri, licet fiat animo sincero et intentione optima, tamen manet intra vota, et nuda sunt verba, quae nihil ad rem consequendam conferre possunt. Sed Christus, dum pacem donat, non so-

lum

c) Gen. XLIII, 27.

d) Ioh. XIV, 27.

lum eam precatur, sed re vera porrigit, et procuratae pacis participes facit omnes qui eandem accipiunt. Non enim est pax temporaria, fragilis, pro statu mundi, sed firma, in aeternum duratura, non corporalis sed spiritualis, et comprehendit praemia et emolumenta eminentiora, quae exsuperant omnes divitias temporales.

Clarum ergo, mentem Christi, quae in salutatione ad discipulos, *Pax vobis*, continetur, hanc esse, ut ostenderet totum redemtionis suae iam peractae officium, et fructum illius exuberantissimum, cum omnibus beneficiis per passionem, mortem et resurrectionem acquisitis, quae ad omnes mortales exinde redeunt.

Hoc redemptoris munus, de quo discipulos praefens certiores facere, et quod in verbis ad illos innuere voluit, efficaciter praestitit, et potestate percipiendi fructum bonorum collatorum compribavit. Comparavit pacem inter iudeos, qui sibi met solis tribuebant characterem populi Dei, et inter gentes reliquas in orbe, a confortio filiorum israëlis ob ingentem religionis divercitatem separatas; dum odium inter utrosque sustulit, et partem intergerinum removit, ut sine discriminâ in communionem foederis gratiae admitterentur, et in unam ecclesiam coalescere possent illi qui antea a se invicem erant dissiti. Libertatem accedendi ad regnum spirituale concessit, et viam salutis omnibus aperuit, qui servatori Christo nomen dare flagitarent.

rent. e) Praesertim et quod maximum est, restituit omnibus mortalibus pacem cum Deo, dum iniunctam extinxit inter transgressores legum foedifragos, et supremum legislatorem. Reconciliationem acquisivit hominibus lapsis cum Deo nunc placato, quando iustitiae divinae satisfecit, et suo merito remissionem peccatorum poenitentibus promeruit. f) Quo ipso haereditatem vitae aeternae omnibus in eum credentibus tutam et nullo modo turbandam effecit. Quapropter omni iure nomen ~~שָׁלוֹם~~ *principis pacis* illi soli tributum. g)

Tanti cum sit valoris Christi in vitam redeuntis salutatio ad discipulos, dignissimum sane est argumentum, quod hoc tempore, quo memoriam resurrectionis nostri pacificatoris celebramus, contemplemur, et de eo ex animo laetemur. Agite ergo, Dilectissimi Cives, hoc incomparabile et divinum beneficium animis vestris firmiter inculcate, nec unquam memoria excidere patiamini. Pro hac spirituali pace, per Christum parata, debitas Deo solvite gratias, et cavete, ut nihil admittatis, quo pax illa aurea possit violari. Sic quieto et seculo corde Deum filiali pietate invocare, et ab illo omnia prosperitatis genera expectare potestis. Sic emolumenta huius pacis coelestis non solum in hac

vita

e) Gal. III, 28. Eph. II, 14 seq.

f) Rom. V, 1. 2 Cor. V, 19.

g) Ef. IX, 6 seq.

vita consequemini, sed etiam in futura praemium illius in aeternum percipietis.

Hac occasione, dum de pace verba facimus, non alienum videtur, vetustum aliquod, et perarratum monumentum, adhuc ineditum, scriptoris seculo XIV. clari, cui titulus: *Epistola pacis*, ex codice antiquo manuscripto, in lucem producere. Autor illius est *Henricus de Hassia*, dictus *de Langenstein*, ortu Germanus, qui in Gallia primum studiis vacavit, et postquam progressus in illis fecerat egregios, theologiae licentiatus declaratus, et in academia Parisiensi Vicecancellarius constitutus est, dein Canonicus Wormatiensis factus, et postea Viennam in Austria vocatus, ubi theologiam docuit, ordinis sui caput. Floruit anno 1380. et multa erudita et ingeniosa exaravit scripta, partim edita, partim inedita, a celeberrimis scriptoribus recensita et laudata. h) Inter inedita nostrum referri debet opus memoratum, *Epistola Pacis*. Conscripta haec, ut videtur, circa annum 1379. Caesare Wenceslao, tempore notabilis schismatis, quod inter Urbanum VI. et Clementem VII. pontifices 1378. erat ortum. In gratiam Urbani Papae est exarata epistola, cuius electionem tanquam legitimam vindicare, et argu-

men-

b) Vid. Ioh. Alb. Fabricii Bibliothecam Latinam mediae et infraeae aetatis Lib. VII et VIII. pag. 646. Adde Guiliel. Cave in historia literaria scriptorum eccles. p. 96. in appendice Conf. Herm. von der Hardt in prelegom. ad Tom. II, Concilii Constantiensis p. 10. sequ.

mentis variis firmare autor annititur. Cum in hoc scripto, avide ab eruditis desiderato, multa occur-  
rant memorabilia, quae historiam illius temporis  
et dissidia tunc exorta valdopere illustrant, sine du-  
bio voluptatem exinde capient, qui antiquitatem  
in deliciis habent, nec ingratum illis erit, quod in  
lucem protrahatur opus, quod hactenus inter ma-  
nuscripta bibliothecarum latuit.

Accipite itaque Cives Carissimi *sectionem*  
*operis primam*, et considerate autoris confidentem  
animum eiusque argumenta in stilo facundo, qui-  
bus ad suam sententiam aemulos perducere allabo-  
ravit. Reliqua vero alia occasione  
expectate.

ENRI. ENRI.

HENRI-

HENRICI DE HASSIA, DE LANGENSTEIN,  
GERMANI, PARISIENSIS ACADEMIAE THEOLOGI-  
ET PROCANCELLARII

EPISTOLA PACIS  
SCRIPTA A. 1379 IN SCHISMATE  
INTER URBANVM VI. ET CLEMENTEM VII.  
PONTIFICES ORTO,  
EX CODICE MANUSCRIPTO  
VETVSTO,

---

SECTIO I.

**G**enius, magni Iovis vicarius, vasta superiorum  
culmina regnorum insolubilis concordiae nexu  
tranquillitati consocians, universis mortalium  
utriusque status praesidibus, in regione caliginis sub lu-  
nari globo in id ipsum constitutis, pacem et rupta unio-  
nis foedera celeriter reparare.

Non solum de tranquillo nostrae regionis solliciti  
gubernaculo, sed omnium subiectorum, beatae in ipsam  
pacis imaginem, velut amicitiae exemplar respicere de-  
bentium, curam gerentes, audivimus, similiter et no-  
stris de excelso conspeximus oculis, apud vos non pau-  
ca, legitimi ordinis rupto foedere, obliquitatis turbine  
hac illaque versari: Eo, quod ille pacis aemulus, con-  
cordiae inimicus, adversarius vester, qui tanquam leo  
rugiens circumit, quaerens quem devoret, sceleribus  
quorundam ingrediendi patefacto itinere, et munitionum  
feris clave peccati apertis, christiani populi, cuius capita  
estis, in quo salus totius persistit orbis, regiones introi-  
erit,

A

II

exit, eumque graviter vexet, gravissime, nisi obsteretur principiis, vexaturus.

Ecce qui olim in Christi passione foris electus erat, novorum proventu scelerum reversus, sciens, omne regnum in se divisum, desolatione peritum, iam summum christianorum praesidentem, qui unus esse debet, in duos divisit, versutissimo conatus molimine, cunctos damnare deicolas orbe, in quo iam non modo contenditur de summo pontificatu in iudicio, sed pugnatur in gladio: quod ecclesiasticis usquam arbitror esse illicitum.

O certamen movistis opes! o bellum movistis honores! quorum grassante infania conturbatae sunt gentes, inclinata sunt regna, commoti sunt cardines terrae, stabilitate debentes orbem, tanquam mundus suae appropinquant aerari occiduae, et instet cum tribulatione finis, quem secula expectant in ingressu hominis peccati, facta discessione primum, ut vester prophetavit apostolus.

Veruntamen confortamini et estote robusti valde, non diffidentes, quia Deus fortis, in membris vestris, unde, cuius offendam nisi incideritis, nequaquam confundemini. Ipsum ante omnia invocate, similiter populo invigilate, ignaviam exutite, arma lucis assumite: quia bella vobis video, bella parantur, state, quorum fortitudinem, nisi resurgentia lucis sapientiae, in clypeos aureos, dissolvere poteritis et dissipare.

Vsque autem quo in tenebris palpitatis, his in astramque claudicantibus partem, his in ambagibus umbratilis ignorantiae persistentibus, his, in quam partem secundius declinent, non videntibus? quomodo ignoratis, quod scientiarum dominus, Deus vester, luminare magnum, velut lampadem sapientiae praefulgendam, lucernamque inextinguibilem, divina luce radiantem, totum mundum sui splendoris claritate potentem illustrare,

in

in occiduo vestrae regionis angulo constituit collegium universale sapientum, tanquam firmamentum, sideribus sapientiae praelucidum? ut, quoties populos et urbes nebulosi erroris tetra nequitiae caligo percuteret, aliis sideribus terrenae opacitatis umbra eclipsatis, atque ceteris conglomerationibus fidereis, id est particularibus per orbem sapientum collegiis, vel timore, vel cupiditatis favore, ac praesumentis ignorantiae nubilo obscuratis, ad hoc firmamentum, ut fontem luminis, configiatur, et quicquid ambiguae quaestioni natum fuerit, alibi indeterminabile, ad illud referatur.

Eapropter turboni errabundo utilius consulturus, vestri disturbii et periculosi schismatis casum novum et anxium, in vestrorum codicibus iuris et legum nunquam repertum, in peccatorum poenam, quasi unum de insolubilibus, vos involventem, et misitare facientrem, duabus oratoribus, universali sapientum collegio iudice constituto, elucidandae veritatis gratia, verbis planis, et in duplicato sermone persuasionibus, ex variis illius novi casus circumstantiis excogitatis, in utraque parte tradito disputandum, atque per modum dialogi ventilandum.

A. B. sunt, qui Cardinales et alios sacerdotes hoc causu diligenter audiverunt. Nemo eorum verbis offendatur, nemo male contentetur. Quia illa quasi communis rumor, et relatio eorum auribus afflavit attentis. Non quod invidia et affectata protervia suasit, advocatorum more praecise declarando veritatis gratia disceptantium. Quisque pro parte quam defensandam assumit, nostro eos stringente mandato, quanto poterit coloratus recitatib. Ipsos ergo audite, et sententiam iustissimo rationis libramine, omnibus a praedicto iudice auditis et pensatis, ferrandam immobiliter, tanquam desuper datam tenete, nullatenus in hac trepidantes.

A 2

B. Pars

B. Pars prima.

**B. Orator secundi electi.** Lex iubet, iura sanciunt, ratio testatur, omnia quae vi metusque causa fuerunt, tanquam abortiva et illegitima censeri. Quid autem clarius, quam electionem archiepiscopi Barrensis in summum pontificem, anno Domini MCCCLXXVIII. in urbe romana factam, die VIII. mensis Aprilis, huius esse, ut casus declarabit. Quare nulla, quam Praetor ait, quod metus causa gestum est, ratum non habeo, quod et hoc ius canonicum non taceat, imo omni pontificio iure tacente, bina ratio idem iubeat, audies inferius partibus 13 et 21.

A. Pars secunda.

**A. Orator primi electi.** Ne generaliter loquendo, omnem timorem damnare videar, explica, de quo loquaris timore. Nunquam de timore Domini sancto, in seculum permanenti, qui nutrimenti genere invalescens, in virtutum ramos proficit, et vis eius ad fructum perfectae caritatis usque pertingit, quam beatus Gregorius describens, inquit: timor Domini est, nihil eorum quae agenda sunt, praetermittere, hoc autem praetermittitur, quod nec opere, nec plena ratione impletur. At non taliter sit, ut dari exposcit beneplacitum. Qui enim Domini ratione timoris nihil negligit, sed cuncta, prout divina ratio statuit, summo opere perquirit, ut Dei visa voluntate, ei in omnibus se conformet. Et hac ratione initium sapientiae est timor Domini, quia procul dubio, qui singula diligenter investigat, ut congruo rerum ordine secundum illum, quae agenda sunt, exequitur, recte sapiens est. Vel loqueris de eo timore, de quo dixit apostolus: perfecta caritas foras mittit timorem, qui servilis est, poenarum aculeos habens. Vel de timore loqueris, quo Christus suos discipulos et eorum successores cadere prohibuit, dicens: nolite timere eos qui occidunt

cidunt corpus, eum timete, qui et corpus occidere potest, et animam mittere in gehennam ignis. Vel forte intelligis de timore, quem mundi amatoribus, terrenae gloriae cupidis, exteriorum privationis bonorum facile ingredit consideratio, sive communicatio.

B. Tertia pars.

**B. Fateor plane,** omnia, quae urgente timore Domini sancto fiunt, non irrita, sed rata atque acceptabilissima Deo esse, cum et ipse ex radice pullulat charitatis, et quicquid ex eo fluxerit operis. De hoc ergo metu absint, quae induxi intelligenda esse, sed de tribus speciebus ceteris metus vel timoris, quibus sapientum et constantium virorum animi passionari possent, et nonnunquam usus ad obliquum adeo decurvari.

A. Quarta pars.

**A. Si credendum est doctrinis Zenonis et Chrysippi, Stoicorum principibus,** non est in potestate hominis, ut visa, quae phantasias appellarunt, in animum veniant, aut recedant. Et cum venerint ex terribilibus rebus, aut contrariis, non esse afferunt in potestate, et moveri animum sapientis, ut paulisper metu trepidis tristitia contrahatur, dilatetur laetitia, cupiditatibus moveatur, tanquam his passionibus provenientibus rationis et metus officium, nec tamen conscientiam mali in mente versari, verum approbari ista. Aut aliquid eis indulgeri concessum, hoc enim esse volunt in hominis potestate. Idque interesse censem inter animum sapientis et stulti, quod stultus consensu mentis passionibus cedit, sapiens autem, licet ea necessitate patiatur, retinet tamen se necessitate appetendis vel fugiendis veram et firmam inconcussamente sententiam. Haec quidem illi, autore Gellio in libro Noctium Atticarum. Hinc sententia Stoicorum, timori locum non esse in animo sapientis, ut propter ipsum

in aliquo rationis ordine omisso, quodcunque indecens vel turpe perpetret. Fertur et Platonem, periculorum metibus plenum, non fugisse, sed ceteris locis ad virtutis exercitum praetulisse suam academiam, eo quod ibi ad incutiendum timorem, quo virtus reprimerentur, et agnita conditione sui modestia fidelius servaretur, maxime visus est ex frequenti terrae motu, quo saepe concutitur, esse idoneus. Timor enim, sicut modestiae agnitus est, ita familiaris sapienti, quia componit animum, et quia humilitatis fomes hominem reddit ad omnia virtutis officia aptiorem.

### B. Pars quinta.

B. Hoc non obstante, est timor, qui violento suae illationis motu mentem turbat, voluntatem involuntarie agere cogit, et qui turbine quodam rationis, intelligentiae, perstringit oculum, de quo iuris et legum codices loquuntur, de quo et ego loquor, et deinceps me intelligentias locuturum.

### A. Sexta pars.

A. Ne tecum intrem illas iuris et legum mortuas litteras, et grammaticales allegationum superficies, timorem, qua humanae libertatis arbitrium cogi posse, affirmare videris, sed vivacibus ut rationibus interiora negotii penetremus, quod vi vel metus causa fieri videtur, multa clarificando, quae dicturi sumus, duxi praemittendum, quod primum movens vel immutans, in medium agens rationabile liberum, respectu actus, est obiectum vel apparentia boni vel mali expedientis vel inexpedientis etc. Et ex tali apparentia oritur quidem naturalis passio complacentiae vel displicentiae, etiam in appetitu rationali, provenientis auctum electivum vocatis, quo ipsam libere acceperunt vel refutant dicto modo apparen. Et huius passio est, qui secundum moyens vel incli-

clinans vocem ad conformandum se illi, quod intellectus practicus proposuit agendum, vel vitandum, et imitatur illa passio spiritualis, quae etiam esset in anima exuta saepissime a passione, vel passionibus appetitus sensibilis ad idem voluntatem stimulantibus et impellantibus, nullo tam modo quomodolibet intendantur et multiplicentur voluntatem potentibus. Praedictae autem passiones, inter quas est passio timoris, secundum verum appetitum sensitivum et intellectum inferuntur agenti rationali libero, a variis causis, quia vel in complexionali dispositione; vel a rerum obiectione; vel phantastica imaginazione, vel ex invasione spirituum, vel ultimo ex machinatione hominis vel hominum. Et licet voluntas incessitabilis et incogibilis sit, quia tamen potest passionibus inclinari et duci, ad volendum hoc vel illud; ideo homines hoc scientes confuerunt aliorum voluntates, ut consentiant eis, quae desiderant, per ductionem processum, seu directum et indirectum pulsare. Primitus est per viam passionationis affectitiae et dulciter accurativae. Et est inducacio directa, et quasi naturalis, quia procedit per ostensionem eorum, quae apparent bona et convenientia. Secundus processus est indirectus, vel magis proprie violenter impulsivus votis ad id quod desideratur, et est ducendo ad inconveniens, si non fiat propositum, in quo ille processus assimilatur demonstrationi ad impossibile, et fit, ubi et quando primus processus, qui est quasi demonstratio ostensiva, locum non habet, vel non perfecit ad comminationem intentatam. Sic ergo, quando incutiuntur timor, tremor et minae, de diversis malis inferendis, et ostenditur, vel appetit verisimilitudo illationis illorum, si non fiat, interitum comminantium ex parte comminantium illationem mali. Sed consideranda sunt primum qualitas et quantitas mali comminantium, 2) an sit privatio bonorum fortunae, vel bonorum:

rum naturae, ut sanitatis vel roboris, vel privatio vitae temporalis, vel privatio alicuius exterioris boni moralis, ut sunt honor, fama, denominatio etc. vel an malum sit spirituale, ut est error, peccatum, Dei offensa etc. Secundo considerandum est, an ipsi sint audentes et potentes inferre illud malum, et anne comminanti per se, vel cum aliorum auxilio resistere possit, et per quem modum. Secundo considerandum est ex circumstantiis variis, et ex omnibus quae apparent et apparuerunt, ex parte notionis comminantium, et antecessorum eorum in moribus et consuetudinibus bonis vel malis, cum verisimile sit, quod tale malum talibus et tantis hominibus a talibus miseris, vel talis status hominibus inferatur. Etsi illi, quibus timor incutitur, inveniunt sufficienter ex omnibus illis suum humanum iudicium, quod idem malum eis inevasibiliter imminet, vel inferetur, si non fecerint interitum comminantium. Tunc considerare debet eventum ex parte comminantium, seu quod et quale sit illud, quod exigunt ab eis fieri et quomodo. Quod si fuerit formaliter vitiosum, ut fornicari, mentiri etc. vel ad factum, de quo eis verisimiliter patet, quod absque Dei offensa fieri non potest, eligere debent potius malum comminatum subire, quam id committere velle; ratio, quia omne malum, quod homo homini infligere potest, imo Deus vel diabolus, est incomparabile circa omnes gradus mali culpeae, vel divinae offensae. Vnde secundum venerabilem Anshelmum minimus despectus contra Dominum non esset committendus, pro infinitis virtutis et mundis salvandis. Si vero id, quod exigunt, et fieri requirunt comminantes, non fuerit a Domino praedictorum, sed fuerit a Domino quod a talibus et talis status hominibus, qualis sunt illi, quibus sit comminatio, licite fieri potest, quantum ad culpam, quamvis et non sunt malo aliquo ipsorum vel aliorum; tunc laudabilis pru-

prudentiae est, quod illud potius faciant, quod faciendo incurront malum non tantum, quantum esset malum, quod incurrerint ipsi et alii, non faciendo interitum comminantium. Quid ergo dicis, ut non timor faciat alicui vel aliquibus licitum et honestum, quod alias ab eis fieri esset turpe, illicitum et vitiosum?

### B. Septima pars.

B. Sic, quia gestus et habitudo simulant, David cum rege Achis, de quo i Reg. 21. si timor non compulisset, ut sic se haberet, in ipso turpis et indicens fuisset, et fortassis sic se habendo culpae fuisset obnoxius, de quo tamen modo laudatus, tanquam industriosus et prudens. Et videtur de omnibus actibus, qui non essent legem positiva prohibiti, quod possent licite fieri, sicut de non levare festucam, si esset monacho ab abbate propter meritum obedientiae praeceptum, tunc in casu, in quo quis malignus velleret interficere monachum, ut levem, absque peccato videtur festucam levare posse, quia supponendum sibi videtur, quod abbas hunc, et consimiles casus excipere voluisset. Si dicatur, praecipiat abbas expresse talem casum includendo; responderetur, quod indistincte faciat, et non est ei in hoc parendum. Idem videtur de presbytero; cui alias iudex securo sub poena suspendii iniungeret, quod suspenderet sibi istum latronem, qui iuste suspedio malignus condemnatus est, quod presbyter, ut vitam salvam retineret, videtur debere facere, quod tamen faciendo valde peccaret, timore mortis non interveniente. Idem videtur de illo, qui in tali casu esset, quod inevasibiliter interficeretur, vel sanus prohibitus parum comedere carnis. Et ita de multis consumilibus casibus, in quibus apparet, quod quodvis ratione circumstantiae timoris fiat, vel se habet aliqualiter licite et prudenter et laudabiliter, qualiter ta-

men se habendo, illa circumstantia decepta, graviter peccaret, imo et sic alia, quae sunt de essentia mala. Igitur non solum quia lege prohibente positiva, ex aliqua de causa timor licita non faciat, nec excusat in toto, excusat tamen in parte, et a tanto eum, qui timore urgente labitur, praecipitatus in adeo turpe peccatum.

#### A. Octava pars.

A. Sed, quod si illi, quibus metus incutitur, constituti sunt in officiis et statibus, ad quos pertinent reipublicae administratio et gubernatio, vel de gubernatione provisio, numquid est, scelus turpissimum eos tenuisse, vel propter mortem aliqualiter extra legitimum transitem declinasse, quidam vix vel nunquam ratione timoris excusari debent, si fecerint adeo, quod directe vel indirecte vel quandocunque per accidens cedat in detrimentum et laesionem, successibus temporis reipublicae persequentem, discordias, vel alias crescendo in malam sequelam, seu consuerudinem vel huiusmodi?

#### B. Nona pars.

B. Pressura timoris facit hominum ex abrupto et indeliberate agere, quare etiam tales excusari poterint ex toto vel a tanto.

#### A. Decima pars.

A. Existens in pressura timoris tenetur discutere, quid secundum rationem sit potius sibi agendum, rebus sic se habentibus, et ad hoc vexatio dat intellectum. Quod si homo non fecerit, suae stultitiae, non timori factum eius imputandum est.

#### B. Undecima pars.

B. Si habens merces, tempestate ingruente, plene deliberaret; comparando merces ad vitam suam, et videtur quod omnino oporteret alterum perdi, ageret merito electi-

elective, et per consequens proiectione mercium non esset actus involuntarius, quod est contrarium morali philosopho.

#### A. XII. pars.

A. Omnis timore arctatus ad alterum malorum, rebus se habentibus, ut tunc, debet deliberare, quod mittius malum, et quomodo eum se habere sit convenientius et decentius, et deinceps ad illud, quod tali casuposito est melius, libere declinare, quia hoc recta ratio dicitur in tali casu esse praeeligendum. Dicitur autem actus alias involuntarius, vel vitiosus iuxta conceptum moralium philosophorum, non intrinsece, sed solum denominatione extrinseca, videlicet eo, quod homine dimisso suo consueto appetitu et inclinationi actum illum non faceret, sed eum refugeret, tanquam nocivum et indecentem etc. Dicitur vitiosus et involuntarius, quamvis voluntas nec libere illum elective eliciat, potens illam non elicere, vel pro tunc contrarium elicere. Ex his generalibus quae dixi, recolligo, non statim dicendum esse: in electione talis vel talis concurrebat vis et metus, igitur electio est invalida. Quia stat unum cum hoc, quod timore et vexatione dante intellectum et occasionem, electoribus ocurrerbat optima persona eligenda, et quod illum libere et elective elegerint, etiam alias facturi, si eis illa persona occurrisset. Tum et quia ibi poterat esse solum metus circa eum, qui cadere potest in constantem virum. Tum quia eligere poterant aliquem pro quo non siebat impressio vel timoris illatio. Tum quia non sequitur, eligentes habent metum, item eligunt ex metu, vel compellente metu, alias non facturi, quia constat, aliquem habentem timorem, etiam quemlibet magnum, id quod facit libere facere, aliqua alia consideratione movente, qua unaquaque occasione accepta occurrente, etiam si nullum metum haberet, idem fuisset facturus. Tum quia

quia poterat intervenire cum metu concors electio personae idoneae, in quo casu electio valere videtur ex decreto Nicolai Papae. Adverte igitur, quam variae in dicta electione, licet meticulosa, fuerint, electores se habere potuisse, ne forte temere eam condemnes.

#### B. XIII. pars.

B. Quare timor inducat oblivionem et mentis confusione, ut saepe nesciat homo timore demens, quid agere debeat. Maria est in illis, qui quandoque orationibus vel sermocinationibus longo tempore incorporatis in praesentia multitudinis timore arrepti confunduntur, et confusi propositi obliscentur. Ideo dixit propheta: timor et tremor venerunt super me, contexerunt me tenebrae, et non potui ut viderem. Nec tacuit de hoc lex, quod metus in se ignorantiam habet sive de his, quae metus causa. Ex quibus petet, quod debentibus de arduis tractare, consiliari vel decernere, est opus maxima libertate et tranquillitate, semoto omni timore et tremore, omnique fugata mundana et criminali affectione atque passione, rationis iudicium disturbare solente, sed quidem negotium magis arduum, et maiori descriptione egens, quam electio unius monarchae in spiritualibus totius populi dicti. Igitur nullo modo timor et tumultus intervenire debet, et si intervenerit, factum irritum haberi debet.

#### A. XIV. pars.

A. His ex dictis tuis surgit dubium, cum ambitio et avaritia, inordinatus favor, amor et odium, pervertat rationis iudicium, an electio facta per electores, in quibus huiusmodi passiones notoriae regnant et regnarunt, nihilominus illegitima sit habenda, quam facta ex incusione timoris a populo tumultuante, vel a principe minus inferente. Et videtur uni opinioni, quod si magis

idoneum pro regimine, attentis circumstantiis singulis, ex parte temporis, loci et praesentis status ecclesiae, vel populi, elegerunt, debet electio legitima censeri; sin autem suspecta, imo nulla, apud Dominum haberi. Et hoc praecipue si ita verisimile sit, vel verisimilius, quod electores talibus affectionibus moti fecerunt, quod nulli debebant, vel quod alias non fecissent, affectionibus illis semotis. Alia opinio dieit, quod si eligentes habebant potestatem eligendi secundum Dei ordinationem, eis commissam, et debita forma usi sunt super materiam idoneam et capacem istius status, et intentionem habebant faciendi Papam, quodcumque aliud supervenerit, sive timor, sive coactio, seu quaecunque carnalis vel mundana inordinata affectio, seu eligentium malitia vel peccatum, electus verus Christi vicarius habendus est Pontifex opinionis, quia electio constitutiva spiritualis praelati, ut Papae, vel episcopi, est similis, quoniam ad integrationem praedicatorum quatuor sacramentali consecrationi, quae proprie, vere et realiter fit, praedictis quatuor duntaxat concurrentibus, videlicet charaktere potestatis in ministro ad consecrandum, et usu debitae formae verborum super debitam materiam, cum intentione consecrandi, vel faciendi quod in hoc ecclesia intendit.

#### B. XV. pars.

B. Fateor quod tria principia in proposito concuerterent, sed unum hic deficit, quia propter tumultum et tremorem nimium, quo electores agitabantur, non intenderent pro tunc, per eorum nominationem vel electionem constituere Papam.

#### A. XVI. pars.

A. Si est possibile, aliquos vel quoscunque ex dictis, factis et scriptis, judicialiter convinci de intentione, quae presumitur, quodcumque fecisse quod fecit, electo-

electores hic de dicta eorum intentione sufficienter in foro judiciali, cui in hoc casu standum est, convinci poterunt, quia concorditer connominarunt et consecraverunt electum, et secum per duos menses vel circiter steterunt, omnes ceremonias reverentiales et alias, quae vero Papae exhiberi debent, facientes, atque sub eorum sigillis, Cardinalibus, qui fuerunt in Avinione, et Imperatori, et aliis diversis, et principibus, scribentes, quod Papam optimum haberent supra spem summum electum.

## B. XVII. pars.

B. Est, sicut dicas, quod huiusmodi testimoniiis de eorum intentione esset iudicialiter credendum et standum, nisi in aprico apparerent et apparuissent alia, ex quibus verisimilius est, vel sic eos talem intentionem non habuisse, videlicet notorius toti mundo pessimii populi tumultus, electores iuris et legum de vi et metu gnaros, non ignaros, timore et tremore in virum constantem cadere potente, ultra momentum conturbans. Iterum in multis casibus accidere potest, quod alius vel aliqui, quantum est, de se consentire intendunt, imo consentiunt, ubi tamen non valet factum, sicut accidit in matrimonio propter latens impedimentum. Et similiter in electione propter impedimentum impressionis iure positum. Quod et si prima vice fuit dissimulatum vel non consideratum plene, tamen postquam omnibus diligenter pensatis invenitur affuisse, facit electionem pro nulla habendam. Item rursus quilibet istorum electorum publice testatur sub suo sigillo, propria manu subscriptus, quod intentionem habuerunt, eum quem primo nominaverint, in sede apostolica sicut constituendi, ut mortem evaderent, ipsum vel alium, cum ad locum turum venirent; reelecturi. Et quae tanta protervia, in quo tanta cervicis durities? quis hominis dignus nomine? tam incredulus,

cum

cum scriptum sit, in ore duorum vel trium fiat omne verbum. Et cum autoritatis magnitudo et dignitas status augeant credibilitatem, qui tot et tanti status, tantaque probitatis viris concorditer sub perditione animarum suarum non crederent. Absit talis in hominem contubernio inveniri, cui tot, tales, tanti viri concorditer salutem suarum animarum pro nihilo velle perdere quoquo modo verisimile sit. Vide ad id inferioris P. 18. a.

## A. XVIII. pars.

A. Dic quaeſo, quod etiam pessimi non facerent homines magni generis, qui ab initio divitias, aedes, reverentias, homines et altum statum habere consueverunt et tenent, casu emergente, quod, ne inexecrabile mendacium conspiraret, omnia praedicta penderent, atque perpetuo conceptui, opprobrio et ludibrio haberentur, et infames ipſi et genus eorum. Cogita, si praedictis effeſ excoecatus, atque consuetudine in eis sicut induratus, ut tibi, quia naturalia viderentur, quid verisimiliter permisso urgenti casu faceres. Propterea quaeſo rimare diſcussionis Cardinalium ab electo primam originationem, et minus miraberis. Nunquam prima radix recessus Cardinalium ab ipſo non fuit invidia et ira quam conceperunt aduersus eum ex hoc, quod statim inciperet eis dominari velle, eosque increpare et corrigere, et eorum statum faſtuosum, Deo vereor odibilem, diminuere. Fama communis habet, et est verum, quod quidam Cardinalium incepérunt discordare cum electo, procedentes usque ad verba iniuriosa in ipsum, et fuerunt Gebbenenses et Albianenses, eo, quod nollet quoddam, de quo taceo, factum, secundum eorum beneplacitum expedire, sed quod non expediverit. Illos itaque Cardinales alios commonuisse sic contra electum, qui cogitare prohibet, quod post illam discordiam occasionem et

CON-

concilium quae sierint, quomodo electum de Papatu removerent. Et quia super rei varietatem factus fuit tumultus, et erat alius merus ex parte populi Romani, volentes Papam Romanum vel italicum habere. In illo tumultu se fundaverunt conspirantes, se dicturos omnia fecisse, quae fecerunt circa eius electionem vietatus, alias non fecerunt. Idcirco ab eo non discesserunt moti conscientia, sed ira, indignatione et invidia, quae passiones quoniam hominum mentes magnorum excoccare consueverunt, et ad quanta perpetranda mala saepissime perduxerat, praecipue amor et affectio dominandi, timor et opinio divitias, delicias et altos status perdendi, luce clarius ostendit decursus historiarum. Ideo nihil mireris. Veruntamen infinite absit a dominis Cardinalibus hoc cunctorum auribus horrendissimum nefas, quos tantae probitatis, virtutis et scientiae recitasti. In quo, si verum dicas, ut opto, est incredibilis fictio, nescio, si dicam execrabilissimum mendacium, quod concorditer ab omnibus Cardinalibus per certum tempus, seu duorum mensium exercebatur, et voce et scripto, gestu et facto. In qua simulatione usque ad hoc processerunt, quod suos rotilos illi, qui elegerunt, praesentarent signarios, et quod Cardinalibus in Avinione, et aliis personis ecclesiasticis, et praesentibus secularibus, sub eorum sigillis scriberent, intimantes archiepiscopum Barrensem spiritu sancto in summum Pontificem electum. Quod cum sit utique tale mendacium, de quo verisimili modo fuit, et esse debebat eius, quod mortalis culpa foret, quomodo Cardinalium praedicta habitudo ad electum, faciliter credi potest fuisse initialiter deliberata ad evasionem fictio, et non potius eos, illam habitudinem post eorum recessum indignatione moti calumniose ex causis potestatis fictionem vocavisse, et ante recessum concorditer electum pro Papa veraciter retinuisse, et eum

eum Papam indubie credidisse. Deus meus, quantus, quanquam apparenſ, et vehemens esse debebat iste timor infelix, qui tot tantique status circumspectissimos, ut asserunt, viros ad tam execrabilem potius compulit fictionem, quam eorum distinctionem ad aliam, quae in permixto erat, vel esse poterat, ut audies, parte rerum multiplice declinarent, docente habitudinem et viam evadendi. O si docti et circumspecti sanctae ecclesiae Zelatores, ut dicas, fuerunt, scientes Romanos sic pessimos, ut nec praedicent, quoquo modo eorum sapientia sic devotata fuit, quod nihil conquirunt, nec prensaverunt de eo, quod in foribus erat periculo, utpote, si facte eligenter, eos inevitabiliter consequenter oportere facte electum coronare, et ei omnes Papae fieri consuetas ceremonias publice exhibere, et secum per multa tempora in tali permanere habitudine, ex qua postea verisimiliter futura essent periculosa fidelium schismata, divisio, sicut proh dolor est hodie. Ante et non potius, quam hoc malum fieret, mori, vel malum, quod timebant, intrepide subire tales et tanti Christi athletae debebant. Audi Augustinum in epistola quadam de habitudine praelatorum in persecutionibus: Quare, inquit, non potius contra suum timorem, Domino miserante et iuvante, fortiter dimicarunt, ne mala sine compassione graviora, quae multo amplius sunt tremenda contingenter. Fit hoc, ubi Dei charitas flagrat, non mundi, ubi cupiditas sumat. Charitas dicit: quis scandalizatur et ego non uror? etc. Per hanc magis timeamus, ne oves Christi spiritualis nequitiae gladio in corde, quam nos fraterno in corde trucidentur. Magis timeamus, ne membra Christi, destituta spirituali victu, necentur, quoniam membra corporis nostri oppressa hostili impetu torqueantur, et, ubi fuerit illa charitas, quam iam apostolus commendat? Item: sicut Christus pro nobis animam suam posuit, sic et

et nos debemus animas pro fratribus ponere. Vbi erat illa constantia, qua dicarent Domino: esto nobis in Deum protectorem et in locum munitum? Dominus noster adiutor, non timebo, quid faciat mihi homo?

## B. Pars XIX.

B. False te fundas in discordia praedicta, quoniam ut didici ab eo, qui praefens tunc in Roma erat, unus Cardinalis, electioni iam celebratae insaniens, statim cuncti informatus fuit de modo electionis Archiepiscopi Barrensis, intimavit regi Franciae quod electio non valuit, et quod non crederet unicuique scribenti sibi, quod ille esset Papa; quod fuit factum longe ante, quam inciperet discordia praedicta. Nec docere audebis, quod, hoc non obstante, hunc Cardinalem, et alios electos in Dominum non fuisse revocaturos, si electus non exasperasset eos, vel si regiam maiestatem non sensissent sibi assistentem. Rursus, quoniam ad apostolos suos dictum Christi esset: Si persequantur vos in ista civitate, fugite in aliam. Et Christus, cuius actio est nostra instructio, fugit in Aegyptum a facie Herodis persequentis. Numquid et fortissimus Christi miles, Paulus, ne illum comprehenderet inimicus, per feneitram in sporta submissus effugit? Si ergo Dominus imperavit fugam in eis persecutionibus, ubi potest esse fructus martyrii praecipuus, quanto magis servi Dei debent fugere steriles passiones, quando est in eos barbaricus et hostilis incursum, ideoque nendum fugendum est Dei ministris, sed et, prout congruit, fingendum et simulandum imminentibus persecutionibus, ut se pro utilitate ecclesiae temporibus tranquillioribus eorum indigentis servent vivos. Denique et sanctus David non se commisit periculis praeliorum, ne extingueretur fortassis lucerna in Israel.

## A. Pars

## A. Pars XX.

A. Sanctus David a servis suis hoc petentibus sumit, non ipse praesumfit, alioquin multos imitatores fecisset ignaviae, qui eum crederent hoc fecisse non consideratione utilitatis aliorum, sed suae formidinis perturbatione. Quando itaque quis magis fugiendo vel simulando obest exemplo, quod manendo proficit constantia, nulla ratione fugiendum est sub periculorum densitate, ideo cogitatu in Domino utiliter perdurandum. Et si aliqui in hoc casu deseruerunt plebes suas, inquit supra Augustinus, hoc est, quod dicimus fieri non debere. Quod vero Paulus fugit, recte hoc fit, ait Augustinus, a quibusdam, quando non defunt alii, per quos ecclesiasticum perficitur ministerium, ne ab omnibus ecclesia deseratur. Rursum Paulus fugiens nondum ecclesiam congregaverat, quae per eius fugam cuiuscunque periculi exponeretur incursioni. Sic et Paulo persecutionem fugiente, inde fidelium grec consuetis pastoribus non orbabatur, nec ecclesiae periculum imminebat. Ideo convertendis in gyro gregibus, se potius necessarium fugiendo conservavit, quam multa gentium omissa salute martyrio se tunc exponeret. Bene dixit martyr e duobus, desiderium habens dissolvi et cum Christo esse; permanere autem in carne necessarium est propter vos. Si autem in casu praesentis negotii Cardinales vel salutem fidem per eorum praedictam, ut pericula evaderent, fictionem operati sint, et non magis schismatis vitium, vel si martyrium pasi, qui nostis, iudicate. Quin immo iam palam loquuntur, et proverbium nullum dicunt, si qui sciunt malos notorie. Nolumus, inquiunt, martyres esse, sed sedium nostrarum gloriam non dabimus alteri. Misera quidem et miserabilis vox in ore praelati, vel sacerdotis, qui Christum scilicet agnoscit, ut se nolle eum sequi, palam confiteatur. Dubitari poterit, an verus mori-

moriatur confessor, qui persecutionem, si opus fuerit, non expectat. Taceo, qui, ut evadat scandalose, mentitur et fallit. Nolo per hoc, pericula esse vitanda, cum possunt, sed quod potius ferenda sunt, quando vitari summa in pietate non possunt.

## Pars XXI.

B. Gratis multa conculcas, et impertinentibus te involvis. Ecce posito, quod Cardinales peccaverunt valde in processu electivo dicti archiepiscopi, tamen hoc peccatum non erat tale, quod ratione eius caderet ab autoritate electiva, et nec tale, quod ratione ipsius, vel processus eorum electio ius a Deo tribueretur, vel acquiri potuerit.

## Pars XXII.

Non constat legitime, an electores a populo tumultuante obfessi, ex eorum pusillanimitate fuerint timore mortis conquassati, qui usque ad deficientiam usus plena rationis, in qua dispositione existentes, si elegerunt, nihil puto valuisse, vel an meritis archiepiscopi Barrensis cognitis et attentis, pensatoque quod fortasse spiritus sanctus voluit eos, rebus ita se habentibus, terrore quodam et tumultu determinare ad personam sibi placentem, aliquo occulto iudicio, vel quia electores forsitan ante carnaliter affectati erant, ut vel non concordarent, vel si concordarent, eligerent inexperienced pro ecclesia. Et si praedictam considerationem habentes durante tumultu elegerint Romanum, ut et populo satisfacerent, et ipsi vitam servarent, viderur electio valere. Vel an tertio modo se habuerint ita, quod tumultu irruente super eos, concordaverint inter se, de dicendo concorditer, quod dictus Archiepiscopus esset Papa, et de ostendendo hoc ex timore usque ad tempus, quo Papam evadere possent, et libertati constitui, qualiter minime se habere debent.

bant. Tum quia tam execrabilis mendacium, ut ostensum est, talis et tanti status personae in hoc casu, etiam pro vita salvanda committere nequaquam, ut praemissum est, debebant, nec cuiquam utile esse dicitur, quod hoc committere voluissent, tum quia poterant absque peccati macula vitam in hoc casu alio licto salvare modo, videlicet vere eligendo praevia consideratione et monitione praedictis, cum Romanum vel Italicum, qui eis pro runc magis idoneus apparuit, rebus ita se habentibus. Rursum, quia si te eligendo maximo se exposuissent periculo, scire enim debebant, quod Papa romanus, postea videns se sic illusum, implacabiliter offenderetur, et in Cardinales fureret, eos ubique persecuturus, occisurus, atque eos falsos et fictios homines in scandalum totius ecclesiae per orbem praedicaturus. Igitur hoc modo ut se haberent, minime expediens erat. Item clarum non est, an tumultus fuerit talis et tantus, quod viris recte prudentibus utilius humano modo esse debebat, quod si in Dominum confisi eligerent legitime, acsi nullus tumultus esset, non clamore populi quantocunque moti, ipsi essent omnes interficii. Vel an hoc solum ex eorum pusillanimitate aestimabant, non existentes viri moraliter fortes et constantes pati in hoc et similibus causibus vel factis iustitiae pro Christo mori. Si igitur secundo modo se habentes, timore pusillanimitatis tremefacti, Barrensem archiepiscopum elegerunt, quem alias non elegissent, qui in rei veritate fuit et ab eis aestimabatur persona idonea; videtur quod in poenam peccati eorum porestatem alium eligendi perdidissent, et quod electus verus Papa haberet et iudicari debuerit. Si vero tanta extitisset violentia et talis, quod tempus sufficiens de idoneitate deliberandi personae non habebant, vel si habebant tempus, in quo determinare se poterant ad idoneum, sive extra collegium sive intra, tamen rebus sic:

se habentibus, recta ratio prudentis viri dictasset, quod semper melius est, vel minus malum eligerent, secundum clamorem populi magis idoneum, ut valeret, quoniam possibile, quam quod si securi ficerent, in magnum periculum et confusione ecclesiae, et in scelus nefandissimum romani populi, occiderentur. Qualiter electus non videtur censeri debere postridie ex hoc verus Papa, nisi post ipsum factum vel iteratae electionis processu confirmassent vel ratificassent. Ex quibus omnibus liquet, quomodo, et ratione peccati eligentium, et ratione processus et habitudinis eorum, in casu electionis dicti Barrensis multis modis ius eidem acquiri potuit.

### Pars XXIII.

*Cogis quodammodo me, ut et ordo declarandi posstulat, videris dicere, qualem et quantum electores metum habuerint, quomodoque eo invadente se habuisse verisimilius sit. Pro quo casus et facti veritatem audi, tali brevitate perscriptam: Mortuo Papa Gregorio, huius nominis XI. Romae, consiliis praelibatis initis, quomodo Papatum, quo diu orbati fuerant, de cetero apud se retinerent, invenerunt ad hoc expedire, ut Papa Romanus vel Italicus eligeretur. Et edictio gravi facto, ut omnes nobiles urbe exirent, a quibus Cardinales tuitionem habere posse suspicabantur, introire fecerunt rusticos feroce et immanes de campestribus, ad custodiendum portas, pontes, ceterosque passus. Decernentes primo per principales vel officiarios urbis Cardinalibus aliquoties mansuete supplicandos, quod cum facerent, responso ad nutum non recepto, adiecerunt minas, dicentes: se de maximo Cardinalium timere periculo, si non facerent petitionem eorum, eo quod corda populi sciarent, pro sua nimium comminatione elevata, et tam quod timerent, se non posse eum a furore compescere,*

*si tumultum incepit. Post nihilominus Cardinalibus conclave intrare debentibus, receptis iuramentis ab officialibus de eorum tuitione, qui ut rei exihi monstravit, non tenuerunt. Vix transibant viam, videbant populi maxima parte armati densissimum concursum, qui una cum eis introiens palatium implevit, omnia ibi tumultuose et furiose subvertens, et ipsi et residui, palatium non ingressi, ast extra ipsum in modum hostilis obsidionis circumdantes, toto die et nocte clamabant: Romanum vel Italicum volumus; nonnullis adiicientibus: alioquin moriantur Cardinales. Blanderenses vero, quamvis iurato defensioni Cardinalium se adstrinxerint, populum non compescuerunt, eum et adire et tumultuare pro libito permettentes, vel quia prohibere non poterant, vel non volebant, qui et officiarii, tempore intermedio, crebro et importunissime Cardinales, in cotelavi, ut est moris, reclusos, pro contaminatione populi inquietaverunt et vexarunt in tantum, quod eis aperiri conclave, quod alias vobis non est, oportebat, ubi ingressi minaciter, velut evaginato gladio, Cardinalibus supplicaverunt. Quibus actis, cum Cardinales moram aliquam facerent, cito de electione se non expedientes, custodes conclavis, populi iracundiam et inflammationem considerantes, eis per fenestram dicebant: quod nisi cito ad votum populi se expedirent, essent omnes interficii. Quod Cardinales audientes, nimirum stupefacti nimium et tremefacti, ex abrupto nominaverunt et elegerunt Archiepiscopum Barensem. Deinde post prandium unus Cardinalium per fenestram ad extra adstantes adhortabatur, ut essent in pace, quia ipsi eos de Papa ante diem crestinam essent consolaturi. Propter quod, tumultu quodammodo cessante, et quadam tranquillitate et securitate apparente, dicebat quidam Cardinalium: ecce modo in securitate sumus, reeligamus Barensem. Alter dixit: non sumus,*

sumus. Nihilominus incepérunt tunc iterato archiepiscopum praedictum, tempore tumultus ab eis nominatum, et electum reeligere, forsan timentes, ne electio prima, tanquam imprevisa, nulla esset. Et antequam omnes cessarent loqui, reeligendo eundem, quem prius nominaverant, populus iterum concitatus horribiliter concurrit, irruens super Cardinales, et fregit conclave in tribus partibus. Tunc Cardinales, fere eorum extremo termino imminentे, hinc inde dispersi fuerunt, ad loca tutiora fugientes. Numquid in ipsis Romanos esse scientibus, quales eos apostolus Paulus Rom. I. et B. Bernhardus ad Eugenium Papam descripserunt, erat sufficiens tempore timoris in constantem virum rationabiliter et licenter cadere debentis et potentis.

## Pars XXIV.

A. Scis, quod obiectum timoris est malum futurum, verisimiliter praesumptum imminere, ex cuius quantitate una cum gradu eventus praesumpti mali, vel ex vehementia opinionis et credulitatis de eius adventu, quanti fieri hic metus, credulitas praedicta oriri potest, quantum ex naturali dispositione et pusillanimitate intrinsece, quantum ex apparenti terribilis commoyentis timore extrinsece. Mundani sunt et carnales, qui suam ponentes felicitatem in hoc mundo, atque suam haereditatem primariam, quasi aliam non sperent, constituentes, nimis perdere timent vitam praesentem. Rem enim, quam quis prae ceteris amat, iam magis perdere timet, et conservare curat. Faciliter qui carnales sunt, timore perditionis vitae naturalis, turpia committunt, et in Dei laobi offendam, non ut debent, verentur. Imo in mensurazione et quantificatione timoris respiciendus est status et conditio personarum. Maior namque requiritur metus, qui dicitur cadere in virum alti status, ut spiritualis militiae

iae Christi, quam in virum privatum virtuosum et constantem. Qui enim iudicaretur sufficiens et iustus timor, respectu privati hominis, iudicaretur insufficiens respectu militis, de cuius officio est, adversariis resistere, et non propter timorem etiam maximum, ad tempus, adeo vel scandalosam aliquam evasionem quomodolibet declinare. Quare dubium esse dicas, an praedictus metus fuerit talis et tantus, cuius allegatio a talibus viris, supremis in militia Christi columnis et Cardinalibus ecclesiae audiri debeat, et non potius, tanquam allegatio propriae turpitudinis contemni, et ratum quod fecerunt haberi. Nam existente multiplice timoris variatione, utpote perditionis bonorum exteriorum, perditionis boni naturalis corporis, perditionis praesentis vitae, et timore super omnia habendo, perditionis virtutis et iustitiae, per mensuram divinae offensae in meritum vitae aeternae. Quibus putas esse dictum a Christo, numquid solis apostolis, et non tam eorum successoribus, Cardinalibus et episcopis? nolite timere eos, qui occidunt corpus etc. ficut dictum est superius P. II. Quomodo igitur verisimile est, tales sanctosque viros, athletas Christi fortissimos, in apice gubernationis ecclesiae suae magnificentissime constitutos, fatui et miseri populi, qui quandoque pro nihilo, vel novitate aliqua, vel raritate confluit, et tumultuat, concursu et timore, electionem tantum timuisse, quod aliud timore urgente et compellente in dicto casu fecissent, alias non facturi, in quo nulli interfecti, nulli vulnerati fuere. Absit hoc a tantis patribus. Nullus dubitat, quin poterant et debebant in illo casu, minas et populi concursum habente, non moti ex hac parte timore, sed sancta et recta monente affectione, eligere eum, quem elegerunt, cum eius merita noscerent, ipsum pro regimine ecclesiae bonum et idoneum aestimantes. Imo verisimile non est, tales viros aliter facere voluisse, et iam

iam imminentे timore perditionis huius vitae, cum martyrio acerbissimo. Rursus tales, in dicto casu timendo et ex timore, quid facerent, faciendo, peccaverunt mortaliter, igitur non fuit iustus metus, igitur non excusat eos, et eius allegatio recipienda non est, sed quid fecerunt ratum haberi debet. Conscientiae sunt bonaе, principium alias est verum, ut elici videtur ex antedictis, vel est ad minus dubium. Igitur comminationis principium non est, nec dicitur parum est hoc. Verba sunt legis: non sufficit quolibet timore adducto timuisse, sed huius rei disquisitio iudicis est, qui ex affectu vel effectu praecedenti et consecuto de hoc iudicare debet. Audi Iohannem Teutonicum: si quaeris, inquit, qualis metus debet cadere in constantem virum? dico, quod talis, qui continet metum mortis vel cruciatum cordis, coactio autem verborum non sufficit, etsi rex sit, qui minetur. Quod autem in proposito amplius fuit comminatoriis verbis, nonne iste, iuris speculum, Iohannes Andreeae quaerit, si qui, si alii non metuentes habent iustum metum mortis, ut allegabatur etiam post mortem Clementis, et dicatur dominus temporalis non esse potens ad securitatem ipsorum, ut etiam tunc dicebatur, quod fieri, et quod de iustitia metus cognoscit. Ita, inquit, non decisa nec tunc provisa ad c. egebung provisione.

## XXV. Pars.

B. Lex, quam allegasti, sic incipit: metus causa abesse vel absens videtur, qui iusto timore mortis vel cruciatus cordis conterritus absque etc. Ex qua lege habes argumentum in glossa. Quod minime sufficientes de morte vel cruciatu cordis faciunt iustum metum. Simile reperitur in multis passibus iuris. Non enim solum vis et violentia est, si homines vulnerentur etc. ait D. Marcus: quod metus causa L. extat. Et quicquid de aliis sit, quas

quae allegasti et dixisti, quibus per singula respondere in hoc loco non curo, sed hoc fortioribus relinquens, revertor ad casum. Ecce, quomodo clare ex processu Romanorum praecedenti, et ex his, quae per eos videbantur et audiebantur fieri: Toto tempore, quo in conclavi fuerunt, poterant Cardinales sufficienter communicare, quod Romani intendebant eos compellere et cogere, ut eligerent secundum voluntatem eorum. Primo, quia post mortem Gregorii nobiles expulerunt, et rusticos introire, ut praemissum est, fecerunt pro custodia passuera. Ad quod autem? nisi ne Cardinales evaderent. Secundo ex hoc, quod senator cum aliis capitaneis Romanorum dixit Cardinalibus: per fidem meam dubito, an possimus prohibere populum, ne faciant aliquam novitatem et contra vos et nos. Tertio ex hoc, quod toto tempore, quo Cardinales fuerunt in conclavi, erant hostiliter circumdati, Romanis incessanter clamantibus: Romanum vel Italicum volumus. Quarto ex nimis importuna et minaci instantia partium Cardinalibus factarum, ut darent eis Papam Romanum. Et ideo Cardinales, videntes eos in suo proposito obstinatos, et quotidie magis et magis concurrere et invadere in clamando et tumultuando, et de conclavi non velle recedere, rationabiliter aestimare debebant; quod nisi eligerent ad voluntatem populi, non possent evadere manus eorum; immo quod verisimiliter alias interficerent eos. Quare, ut evaderent eos, et maius malum declinarent, verisimillimum est, eos unum Italicum vel Romanum nominasse, intendentes, quod talis nominatio valerer, quoniam valere posset secundum iura, considerato casu et statu, in quo electores fuerunt, cum quo eligere debebant. Signatum est, quod Cardinales non erant contenti sufficienter de electione facta in tali tumultu, et quod, postquam dabant intelligere populo, quod secundum supplicationem

eorum factum esset; vel facerent, distulerunt eis dicere quis esset; volentes, quod electus prius cum aliis praelatis italicis intraret ad eos in conclave, tanquam intenderent sibi ad partem illorum dicere, quod solum simulareret se Papam, donec venirent ad libertatem, pro eligendo ipsum vel alium. Sed Romani praevenientes hoc, priusquam praelati, pro quibus Cardinales miserant, introirent, irruerunt super eos, et conclave diruperunt. Quinto, quia Cardinales, antequam intrarent conclave, se determinaverunt, ut eligerent de collegio, et non extra. Igitur involuntarie Barrensem elegerunt, non sancto spiritu, sed timore ducti.

## Pars XXVI.

A. Non illa fuit causa, quare distulerunt, sed quia populus principaliter voluit et postulaverat Romanum Italicum, ideo, quia electus nec fuit Romanus natione, nec Italicus, sed Neapolitanus, ausi non erant eis nominare illum, ne forte occiderent eos et ipsum. Et quod Romani expulerant nobiles etc. causa erat, ne in illo facto fieret seditio et divisio in urbe, non ut Cardinales vellent cogere, quia fuissent sufficientes hoc facere, et nobilibus existentibus in villa, cum erant potentes eos de villa expellere, sicut et eos expulerunt de facto. Rursum non obstantibus, quod populus clamareret, et aliis factis, quae praecesserunt, Cardinales congregati dixerunt Romanis missis ad eos, rogantibus, ut Romanum eligrent: ite, ex parte Dei nos eligemus, secundum quod Deus ministravit nobis. Quomodo igitur se fundant in hoc, quod ante proposuerunt de collegio eligere, non mentebantur? Romanis dicentes: nos eligentes, quem spiritus sanctus nobis dederit? an forte ex sanctitate eorum scire meruerunt, quod spiritus sanctus iam determinavit se ad eorum collegium, cum plerumque extra collegi-

legium meliores Papae electi fuerint? quomodo tam experti in iure non attendissent Gregorium X. in concilio Lugdunensi prohibuisse hanc Cardinalium determinacionem, dicens: Papam eligendum, omni condicione cessante, condicium autem fuisse ordinatio inter se, quod nullum extra collegium eligerent. Apparet ergo, quod, non obstantibus omnibus, ex quibus poterant praesumere metum, intendebant libertatem sumere, quem sanctus spiritus daret eis eligendum. Igitur, cum satis citato, postea nullo novo tumultu superveniente, vel appareniente, qui adeo intervenire debuerit, elegerint archiepiscopum Barrensem, videtur eos nihil ratione timoris ibi fecisse, alias non facturi, sed secundum quod aestimabant magis praesenti statui ecclesiae expedire, spiritu sancto ducti, elegisse illum, quem elegerunt. Iterum status ecclesiae, qui erat post mortum Gregorii magni, indiguit tali homine Rectore, qualis erat episcopus Barrensis, qua tali, qualis erat Cardinalis Gebbenensis. Igitur cum ecclesia regatur a sancto spiritu, verisimilius est, primam electionem fuisse de intentione Dei, quam secundam. Item signatum, quod Romanus vel Italicus, in Roma eligendus, secundum Dei dispositionem esset, videtur fuisse, quod Gregorius, Papa precedens, licet semper esset debilis et infirmus, et in Avinione, in loco sibi conventiori, atque inter amicos et cognatos, et alios pro viribus eum retrahentes, nihilominus nulla poterat sibi dissuasione prohiberi, quin iret Romanum immorturus. Quod videtur alicuius rei specialis indicium fuisse. Item ecclesiae praecepuorum apostolorum, Petri et Pauli, et aliorum innumeralium sanctorum martyrum, qui ibi sanguinem suum effuderunt, pro salute omnium Christianorum deseruntur, non visitantur, et propter recessum sedis apostolicae de Roma, ubi B. Petrus eam fixit, miserabiliter ruuntur et destruuntur. Item

quia Urbanus, postquam electus et coronatus erat, cogitavit de reformatione ecclesiarum Romae, a quibus Cardinales habent suos titulos, et aliarum, et incepit a statibus et pompis Cardinalium et praelatorum velle superflua rescindere. De quo maxime opus erat et est in eccllesia Christi. Non destitit etiam de revocanda apostolica sede de Avinione, decreto edibili, ad Romanam, ubi S. Petrus eam posuit divinae revelationis, quoniam illa sancta et nobilis doctrina, de regno Sueciae XXIV annis Romae religiosam vitam ducens. De hoc et futuro schismate revelationes habuit, quas Urbanus V. et Gregorius XI. insinuavit. Idcirco divina dispositione videtur electus in urbe Romana, ut ipse et sui successores ibi de cetero sedem S. Petri retinerent, tanquam in loco conventioni pro salute omnium. Quoniam Roma famosior et notior est civitas, urbs ad quam ab omni regione mundi consueverunt populi accedere, eo quod olim sua prudenter et strenuitate dominabatur toti orbi. Num non parvum articulum veritatis fidei christianaee esse accedit gentilibus, qui longe sunt, quod talis urbs recepit Christum, et quod ibi princeps legis Christi, qui rex universi orbis in spiritualibus. Quemadmodum quondam, qui in huius figuram rex orbis in civilibus, ibi residebat. Quare et ad utilitatem divulgationis fidei christianaee, et ad maiorem eius credibilitatem in toto orbe, eo quod reputatio populus mundi, scilicet Romanus eam in apice recepit, valde esset, quod in Roma summus monarcha Christianorum, vicarius Iesu Christi resideret.

### Pars XXVII.

B. Audi, quare non obstantibus omnibus persuasionalibus tuis, nec quicquam valuit in hoc casu electio, quia si tumultu concorrente, et metu urgente, Papa vel episco-

episcopus electus, ratus haberetur, quod aliud, quam populo et secularibus praefidibus via aperiretur procurandi Papam vel episcopum, secundum carnem et sanguinem, quem vellent, virtuosum, fatuum, eis affectatum etc. Igitur esto, quod quis per impressionem concorditer ab omnibus, et ex corde electus sit, de iure pontificio humano iam constituto vel rationabilissime circa hoc statuendo, electio dicitur nulla haberi, cum vergat in magnum decrementum reipublicae et spiritualis et temporalis. Praedicti autem archiepiscopi electio nec concors nec ex corde fuit. Quod memoratur, quod unus Cardinalium dixit: iam cessat tumultus, reeligamus eum, ex quo asseritur, quod etiam eorum opinione ante elegerunt eum solum meticulose, impressive et invalide. An nescis etiam quod electio summi pontificis inter omnes electiones singulariter et strictissime rectata est, omnibus ab ea exclusis, qui electionem optimi impediere possunt, ei discordias parare, et adhibitis cunctis observantiis et processibus, ut optimus eligatur, adiuvantibus. Querelas autem, et quoniam in hoc merus faciat impedimentum, audivisti nunc et superius P. XIII. Parer ergo, quod sanctissimi iuris est, et esse debet electio summi pontificis, ac per hoc facilime et pro lubitu moris irritabilis. Hinc est etiam, quod, nisi ad minus a duobus partibus fiat, inconveniens per sequentes actus, est nulla. In quo episcoporum electionibus strictior est. Quare nedum metus terribilis supra descriputus, imo et levissimus metus electionem Papae inficit, et reddit nullam. Si etiam antiquitus Romani de officiis suis sanxerunt, penitus electionem nullam haberi, si metu vel impressione quis ad huiusmodi electus fuerit, quanto magis, si ad Papatum, quo totus regendus dignoscitur mundus, quis scilicet eligatur. Item canonica iura non tacent, textus est: cum arbitrium, vel inordinatus

tus captivat affectus, vel ad contractum ac obligatio-  
nes cuiuscunque necessitas adigit et compellit, cessa~~t~~  
electio; dum libertas adimitur eligendi. At idem  
faciunt, qui sequuntur in eodem  
contextu.

